Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 301
Quelle:
Copyright:



*Eutyche Druthmari* esse sobrii et verborum parci scriptoris.

II. *fol.* 277. Sequitur *Cento* ex Expositionibus *Druthmari in Lucam* consarcinatus. Scripsisse autem *Druthmarum* in hunc quoque Evangelistam ex verbis illis *Epistolae* ante *Matthaeum* desumi potest: *In Luca quoque audio post sanctum ambrosium eundem Bedam manum misisse, sed non potui inuenire adhuc in toto eius expositionem, nisi quasdam eius homelias. Si uero nec inuenero, et uestrum omnium cohortatio adfuerit, et in hoc quoque laborare temptabo.* Incipit nobis ακεφαλως: *Lucas ipse consurgens causa scribendi euang. ne pseudo euangelistis esset facultas predicandi falsa* &c. Finit: *Maria iacobi. soror sancte marie.*

III. *fol.* 283. p. 2. Succedit alter *Cento in Johannem*, in quem pariter commentatum fuisse *Druthmarum* ex eadem Epistola liquet, in qua ait: *Si ergo uidero quod vobis hoc primum factum placeat. ad euangelium iohannis manum mittam.* Incipit vero: *Secundum iohannem. Gratiam pro gratia. id est primo fidem. deinde remissionem peccatorum. et uitam æternam* &c. et finit: *Mons tabor XXX stadiis sublimatur. super latus* XXIIII *stadiis Exp.* Uterque hic cento admodum confusus et imperfectus est, legiturque in *Bibl. PP. l. cit.* non autem in editione *Moltheri.*

Ceterum Autorem nostrum *supra* Seculo IX. cum aliis adscripsimus contra *Fabricium*, qui *Anonymum Mellicensem* a Cl. *Bern. Pezio* ad calcem *Bibliothecae Bened. Maurianae* 1716. *Aug.* editum, et a se in *Bibliothecam* suam *Ecclesiast.* p. 141. cooptatum secutus, *Druthmarum* Seculo XI. adsignavit. *Anonymus* ille rem non satis compertam sibi habuisse videtur; *Druthmarum* enim. c. 102. binominem facit *Guidmundum* et *Christianum*, et postquam jam c. 90. de *christiano Pontifice* (Aversae) *Apulorum* egisset, rursus c. 102. ad eum redit, aitque monachum in Monasterio *Stabulaus*, dum Abbas constituendus esset, aufugisse, repertumque tandem sub *Gregorio* VII. Ecclesiae *Aversanae* praefectum fuisse, scripsisseque fratribus supradicti Monasterii explanationem egregiam super *Matthaeum.* Utut verum sit, quod de *Guitmundi* fuga, in qua *Christiani* nomen adsumsit, narrat, nunquam ille Monachus *Stabulensis* fuit, nec a *Gregorio* VII. sed ab *Urbano* demum II. *Aversanus* Praesul renuntiatus est. Commentarium praeterea nostrum nullus scripsit *Episcopus;* non enim diceret *Episcopus: quia perspexi iuuenibus nostris post expositum bis textum Euangelii Matthaei obliuioni haberi:* non diceret Episcopus *Aversae* degens Coenobitis *Stabulensibus: Supra omnes homines uestra mihi gratior est societas*, ut in *Praef.* Operis nostri legitur. Locus demum ad illa *Matth.* verba c. XXIV. v. 14. *Et tunc veniet Consummatio*, plane evincit *Druthmarum* Sec. IX. scripsisse. Ita ille: *Nescimus jam gen-*